

M:2

304.415

1-4

Vajkovits
Decas Disserta.
II. III. Pars.

Budapesti Széchényi Könyvtár

2.



DECAS DISSERTATIONUM
ECCLESIASTICO-POLITICARUM
DE
CENSORIA LIBRORUM
DISCIPLINA,

SECUNDUM
SERIEM TEMPORUM

AD

ANNUM USQUE 1767. PERDUCTA;
EODEMQUE ETIAM CONSCRIPTA.

QUARUM

DUABUS POSTREMIS
JAM NUPER TYPO DATIS, NUNC PRIMA
QUOQUE ADDITA EST

EMERICO VAJKOVICS

ELECTO

EPISCOPO ALMISIENSI, ET PRÆPOSITO MAJ. AC
CANONICO M. E. COLOCENSIS, NEC NON
REGIO LIBRORUM CENSORE EMERITO.



PESTINI,
TYPIS MICHAELIS LANDERER,
NOBILIS IN FÜSKUT, 1791.

DISCIPULIA
CENSORIA LIBRORUM

Ordo præposterus, sed necessario
commutatus.

S. Hyer. L. I. Comment. in Matth.

M 304.415:2



PRÆFATIO

A D

LECTOREM.

Miraberis (nullus dubito) Lector bene-vole: ex decem dissertationibus meis ante annos admodum 24. jam conscriptis, eam, quæ omnium ultima erat, loco pri-mo e tenebris emersisse, huicque proxime successisse penultimam? ac nunc de-mum veluti per saltum primam omnium typis datam esse? serie quidem inver-sa, sed non sine cauffa.

P R A E F A T I O

Cum enim in postremis Regni nostri Comitiis, inter inclytas alias deputationes una specialis ad librorum quoque censuram fuisset constituta ; cui præ cæteris dissertationibus meis ; decima videretur esse accommodatior , eo quod separatim ac consulto , de politica dumtaxat librorum censura ageret ; sola isthæc est prælo commissa , quin tunc de reliquis edendis quidquam cogitaretur.

Accidit autem , ut pro laudabili operum recentius editorum cum publico communicandi instituto , hic quoque libellus ad auctorem Ephemeridum latinarum deferretur. Isque cæteris suis super eo observationibus eam etiam jungeret , qua magis e re futurum fuisse arbitrabatur. — Si in libertinismi abolitionem stylum meum acuerem , atque converterem etiam consilium hoc mihi , pro quadam quasi divinationis specie reputari posse videbatur :

ut

A D L E C T O R E M.

ut si arcana scrinii mei fatidico quopiam
afflatu fuissent detecta.

Dissertatio siquidem ultimam antece-
dens reapse eadem est, quæ libertinis-
mum data opera oppugnat, et iis quidem
rationum momentis, quæ omnem sanæ
mentis hominem movere debeant, au-
thoritatibus certe tantis, quibus majores
in humanis frustra quæsiveris. Penultimam
itaque illam dissertationem nulla mora ex
diuturnis carceribus suis ad hanc auram
evocavi.

Quid porro factum? Illud nimirum:
ut quemadmodum moto uno catenæ con-
tinuae annulo, reliqui sequuntur; ita nona
illa dissertatio, utut a se distantem, vi
quadam sympathica traxerit post se hanc-
ce omnium omnino primam.

P R A E F A T I O

Laudatus siquidem Ephemeridum editor in sua ad secundi illius opusculi recensione, suam reliquarum etiam dissertationum edendarum ardens adeo ac amplum manifestavit desiderium: *ut cuperet, omnes videre!*

Nec staret per me profecto, quominus Vir Clarissimus voti ex asse potiretur; si morbis ac senio langvens animus fineret: non dico, novi quid procudere, sed vel sub incudem revocari, quod jam olim pro-
cufum fuerat.

Quia tamen nihil etiam deferre, tam urbanæ insinuationi videretur fore inofficium. Idcirco, insuper habita nonnulla etiam incommoditate atque molestia, sit dissertationis hæc boni victimæ consilii.

Cum cæteroquin etiam finis illius non aliud sit, atque reliquarum: prohibitio vi-
de-

A D L E C T O R E M .

delicet librorum perniciosorum , non se-
cūs ac præli exorbitantis refrenatio.

Ex quorum alioquin abusibus , quid
aliud quæso poterit sibi portendere Res-
publica ; quam quod in præsentiarum ex-
peritur Gallia ? ubi cæteris turbarum cau-
sis , libelli etiam famosi accensentur.

**Licentia typi summum attingebat
apicem. Inde omnis contem-
pta jacebat authoritas.**

*Ita Rex ipse in nuperno suo ad
nationem sermone.*

DISSERTATIO.
DE
POTESTATE PRINCIPUM
SÆCULÆRIUM
IN
CENSURAM LIBRORUM.
CONSCRIPTA
AB EMERICO VAJKOVICS.
ELECTO
EPISCOPO ALMISSIENSI, ET PRAEPOSITO
MAJORE AC CANONICO COLOCensi,
NEC NON
REGIO LIBRORUM CENSORE EMERITO.



COLOCÆ. Impressit Fr. Frid. Neuner e S. P. 1791

Reddite ergo quæ sunt

Cæsar is Cæsari!

Matth. 22. V. 21.

M 304.415:21



INCLYTA DEPUTATIO.
LIBRORUM CENSORIA!
DOMINI DOMINI GRATIOSISSIMI,
COLENDISSIMI !



*Omnis scriba doctus profert de
thesauro suo nova & vetera.*

Sunt verba Domini ac Magistri nostri, apud Matth. 13. 52. Sed ego scribarum ejusmodi collegio me inferre non præsumo. Cui nimirum: nec ea suppetit eruditio[n]is suppelle[re], quæ thesaurus dici mereatur; nec tanta materiei varietas, ut novi quidquam in medium proferre valeam.

Cum scripto itaque non nisi vetusto, me comparere jam prævie; ac eo potissimum fine insinuo: ut si quid in illo se obtulerit, a moribus hodiernis diversum, id totum ad ejusdem natales sit referendum. Anni enim quatuor supra viginti sunt jam præterlapsi, quod Regium Librorum Censorem, apud E. C. L. t. Regium agens

agens Posonii conscripserim Librum, cui titulum
præfixi sequentem:

*Decas dissertationum Ecclesiastico-Poli-
tiorum de Censoria Librorum disciplina, in Ecclesia
Dei, secundum seriem temporum usitata, & ad no-
stram usque ætatem perducta.*

Quod vero nove in prioribus sua adhuc
in nocte relictis; hanc dumtaxat ultimam, una
cum adjuncta sibi Posoniensis Censoræ forma,
nunc luce donatam velim, ea etiam me permo-
vit ratio: quod antecedentes illæ, respiciant po-
tissimum: Jurisdictionem Ecclesiasticam, hæc ve-
ro sela: Principum Potestatem in Librorum Cen-
suram.

Cujus regulandæ Provinciam, cum
nuper Inclitæ Députationi, Articulo 67. Novis
simæ

simæ Diatæ concreditam esse legerem; tempus
adesse opportunum rebar, ut opuseulum tot an-
nis pressum, tandem in apricum proferrem. Quo
vero istuc fidentius prætarem; animos mihi illud
quoque addidit, quod legibus edendorum,
in lucem librorum, a Magistro in Arte: Flora-
rio videlicet, cumulate satisfecerim. Pro eo enim
quod ille juheat: ut

*si quid tamen olim
scripseris, in Metii descendat Judicis ures,
nonumque prematur in annum.*

opusculum hoc, & annis latuit fere triplo plu-
ribus, & Judicem habuit Metio, eruditione haud
inferiorem, ipsum nempe: adeo Censuræ Regiae
præsidem: Georgium Klimonem, magnum il-
um Episcopum olim VEcclesiensem qui etiam

illud annis, qnibus Officio hoc fungebatur, apud
se detinuit, & probavit.

Absit nihilominus: ut præscribendi
modum quempiam docendi sine me moverim.
Qui libellum hunc haberi nolim: nisi Historici
instar monumenti, quo videlicet: illustris illa
Posoniensis Censuræ memoria coueretur, atque
una, ut eadem, nitore suo, & probata multo-
rum annorum utilitate, Inclytæ Deputationi
seipsum commendet, quo nimurum; qua parte
adhuc superat, ulterius quoque Conservetur,
qua vero ne fors exulat, pristinæ possessioni post-
liminio restituatur, perpoliaturque.

Rem profecto SSæ Iuæ Majestati placi-
turam, vel inde divinare licet: quod Censura
eadem, Creatura sit Mariæ Theresiæ, Matris suæ
deside-

desideratissimæ, cuius Augustissimus ipse, non minus Regnorum hæres, quam Virtutum imitator existit.

De vestris autem Gratiissimi, Colendissimique Domini Domini Deputati encomiis (quæ in hujusmodi Dedicationibus celebrari usu-venit) ne verbum quidem faciam. Quid quid enim adferrem, longe minus foret: Judicio ac existimatione illa, quia Inlyti status, & ordines approbante ipso Augustissimo, Vos, Vos inquam: & quidem articuliter declaraverit esse idoneos: quibus, non modo elaborandum Artis Censoriæ systema (quod tamen vel solum omnigenam re-quirit eruditionis Encyclopædiam) concrederent; verum etiam, Quos, ipsorum adeo Cenorum Duces ac Magistros constituerent. Cardinalis

certe Georgius Draskovicus, Hungariæ olim ad
Concilium Tridentinum Ablegatus, summæ sibi, &
Regno nostro gloriæ duxit: quod dignus sit ha-
bitus, quem S. illa Synodus eorum numero ac-
censeret, qui ad conficiendum Indicem Librorum
prohibitorum fuissent deputati. valete! atque
opusculo huic, mihique favete: qui persevero:

Prætitulatarum
Dominationum Vestrarum!

Servus obsequientissimus

E. V.



DISSERTATIO
DE
POTESTATE PRINCIPUM
SÆCULARIUM
IN
LIBRORUM CENSURAM.

§ I. Mihi equidem indubium est; Ius ac Potestatem plane competere Principibus Laicis, Libros intra Limites Regionum, & Provinciarum suarum examinandi, dijudicandi, atque etiam pro ratione, & æquitate eosdem proscribendi, abolen-

A

di,

di, cum, videlicet: eos Reipublicæ notios
esse censuerint. Utrum autem istud Jure
proprio, seu ratione Regii muneris, an ve-
ro ex Privilegio duntaxat Pontificum, vel
lege consuetudinaria ipsis sit tribuendum,
litigant non pauci. Sed quæstio hæc, de li-
bris mere profanis, quæ nempe Politicum dun-
taxat, ac mere Civile Regimen respiciunt;
nec quidem moveri potest: cum suapte
natura pateat; Librorum hujusmodi judicium
ad Regnorum Dominos ita primo, ac prin-
cipaliter pertinere; quemadmodum novi-
mus, ijsdem proprium esse, ut felicitatem Rei-
publicæ procurent, conservent, atque pro-
moveant. Id quod Romano etiam Benedi-

Sententia &c. XIV. Oraculo comprobatur: *Cui vis*
Benedicti (inquit ille) *Gubernio integrum est, Opera*
XIV. *prohibere, si in iis contineantur Principia status,*
suis principiis contraria. Habentur hæc in Ita-
lica prædicti Pontificis Epistola, ad Ludovi-
cum Muratorium data, quæ ab Editore Ro-
mano, opèribus Cardinalis Norisi præfixa,
mecum vero ab Excellentissimo Domino Ge-
orgio

orgio Klimo Quinque-Ecclesiarum juxta, ac
utriusque Eruditionis: Ecclesiastice nempe,
ac Civilis Antistite est communicata.

Quod autem ad opera de Religione, moribus Fidelium, Ritibusque Ecclesiæ tractantia attinet: optima Litem solvendi ratio est; si dicas (ut dicendum re ipsa est) Talium quoque Librorum censuram ad Principes Sæculares ex officio pertinere, non quidem in ordine ad censuras, & pœnas spirituales, sed præcise quantum ad pœnas temporales, & Civiles effectus. Quis enim est, qui neget: officium, quin & gravem eorum obligationem esse: Studium Pacis, atque Tranquillitatis publicæ? aut quis nesciat: Bono Publico nulla re magis obturbatum iri, atque pravis dogmatibus, morum corruptelis, Disciplinæque sacræ perturbatione?

§ II. Veteres sans, non dico solum Christiani, verum etiam Gentiles atque Ethnici, lumine quodam naturæ sibi insitum tur,

Exemplis
Veterum
confirmata

esse senserunt : scriptis , quæ Religioni, aut
 Reipublicæ eorum obessent , obicem quovis
 modo ponendum esse. Nam & Plato) ut
 est apud Alphonsum de Ligorio (necessa-
 rium esse dicebat : ut Libri priusquam ad a-
 liorum manus transeant, atque in vulgus
 spargantur, Sapientum Examini subjiciantur.
 Et constat ex Laertio : Libros Protagoræ ab
 Atheniensibus in foro , palamque omni Po-
 pulo fuisse combustos , quod dubitationes
 quasdam movissent de DEorum existentia.
 Sors eadem, eademque flammæ obrue-
 runt Ipsius adeo Numæ Pompilij Volumina,
 à Rustico quodam ex sepulchrali Regis ejus-
 dem arcula, inter arandum casu eruta : Hæc
 enim simul lecta , simul Senatus - Consulto
 ad rogum damnata sunt, ob opiniones qua-
 dam de numinibus , obque Ritus sacros, qui
 abludebant ab iis, quibus jam tum Roma in-
 siveverat. Qua etiam de causa, vix subinde
 parcitum est vel libris Ciceronis, quos ille
 de natura Deorum vulgaverat. Exemplum
 tamen in Numæ scriptis editum a Repu-
 blica

blica Romana, imitatione pene superstitionis,
ac longe saepissime fuerat expressum : ea pro-
pter quod (ut adnotavit Livius L. 10 Dec. 10.)
apud Romanos , Pontifex Maximus summa
Religione fuerit obstrictus, ad elucubratio-
nes noxias, cum primis vero, quæ sacris eo-
rum adversarentur, igni cremandas.

Nec recesserunt postea a vestigiis
Pontificum Reges, ac Imperatores. Augu-
stus certe (teste Svetonio) Libros bis mil-
lenis plures concremari jussit, ac prete-
rea lege cavit peculiari: Ne legeretur Li-
ber de Arte amandi ab Ovidio conscriptus,
quem etiam propterea Urbe cedere, atque
exulare coegerit, cum jam multo ante nos-
set verum esse, quod in Cicerone L. 2.
Tuscul. quæst. legisset: *Videsne : Poetæ qui
mali adferant ? molliunt animos nostros -- -- Ne-
vos omnes virtuti elidunt.* Quid quod extet
Lex in Ulpiano quoque, Saculi tertii Scri-
ptore: qua ff. Famil. Erciscund. cavetur:
Ne improba Lectionis Libri, dum hæredi-

taria res dividenda sit, dividantur, sed a Judice aboleantur, non secus ac mala medicamenta, & venena.

Accusa-
tur Typo-
grapho-
rum Li-
centia.

§. III. Liceat mihi nunc per occasionem quidem, justo tamen simul ex dolore conqueri, atque expostulare : ab Ethnicis nimirum, & Idololatriis olim plus studii, ac operæ positum fuisse, in suppri mendis libris, qui eorum Religioni, bonisque moribus aduersarentur, atque hodie collocetur præsertim ab heterodoxis, quorum nempe Typographiæ non aliud omnino sunt, quam Cyclopum quedam antra, atque officinæ, in quibus arma assidue fabricantur, ut inde adversus Cœlum confestim explodantur. Ita in dies reciduntur ab iis ; Hobesii, Tollandi, Spinose, Baelii, aliorumque maleferiatorum Auctorum Opera, quibus Religio omnis, omnisque Pietas pessumeat, ac profligetur. Hic tandem imitarentur, quos rebus in aliis pessime sequi consueverunt : Duces suos, ac Magistrorum :

stros Lutherum atque Calvinum ; quorum alter librum edidit teste Sleidano, de abo-
lendis scriptis pravae Doctrinæ, & Titulo
de Doctis: hæc scripta posteris reliquit:
Necessarium est; ut *Libri Juvenalis, Martialis,*
Catulli & Priapeja Virgili ex omnibus Locis,
& Scholis exterminentur, quia tam turpia, & ob-
scena scribunt, ut sine magnq detimento Juven-
tutis non possint legi,, Advertit nempe suo
etiam experimento verum esse illud Hiero-
nymi: *Dæmons cibus est, Poetarum carmina.*
Epist. 136. illudque Augustini de Teren-
tio: „*Non omniwo per hanc turpitudinem ver-
ba ista commodius discuntur, sed per hæc verba;
turpitude ista confidentius perpetratur. Non ac-
cuso verba, sed vinum erroris , quod in eis no-
bis propinabatur.*„ Ita Hipponensis L. I.
Confes. C. 16. Nec ignotum est sectariis:
Calvinum quoque sèpius ingemuisse, ob
editiones librorum, quos ipse malos esse
censuerat. Cujus etiam consilio, atque
adhortationibus Libros Michaelis Serveti

una cum Auctore Anno 1553. Senatus Ge-nevensis igne consumpsit.

Implora-tur adver-sus eam Princi-pum Po-tentia. §- IV. Sed cum ad hæc omnia, adeoque ad ipsius naturæ, eadem detestan-tis voces, penitus obsurduerint aures, ani-mique occalluerint Typothetarum, præser-tim vero Heterodoxos inter, ut suis cum rebus Religionem quoque venalem habeant, nihilique pendant conscientiam, modo afflu-ant Divitiae: Principum omnino, ac Magi-stratum foret, pro ea, quam eis afferimus, ipsique gloriantur, potestate, firmum ali-quod tandem objicere repagulum turpi huic quæstui, atque corruptelæ, qua Orbis haud secus, atque olim diluvio, a duobus jam Sæculis obrutus est, ac conseptus.

Libri equidem, qui modo pestem per Christianos ubique gentium circumferunt, scriptis primorum Sæculorum perniciosis, & numero & malitia longe superiores sunt, quam sit oceanus ad rivum collatus. Si itaque Constantino M. Theodosio Secundo,

& Mar-

& Martiano, cæterisque illorum temporum
Imperatoribus gloriosum fuit, ferro, flam-
maque librorum soliis occurrere, crescant,
nunc oportet ex majorum malorum segete
succisa, Regum lauri, atque coronæ. Quia
vero a Constantino M. gladio animadver-
sum fuisse iu omnes prævorum voluminum Pa-
tronos, jam olim Dissertatione videlicet
1. §. 2. meminimus: Nunc duorum alio-
rum Augustorum Sanctiones oculis subjici-
mus. Necesse est (ajebat Theodosius in L.
Jubemus. C. de summa Trinit.) ut, quæ scripta
vel Deum accendunt ad iracundiam, vel animos
hominum in perniciem, & fraudem impellunt,
ad nullius aures perveniant. Et Martianus,
apud Concil. Chalced. Act. 3. Item L.
Quicunque C. de Hæret. & Manich. Ma-
teria (inquit) subtrahetur erroris, si peccatorum
& Doctor defuerit, & Auditor, & pravitatis
facinorosa vestigia in flammis combustu depereant.
Quibus quid aliud adjiciam; nisi mutatis
paucis, illud Augustini Serm. 47. de San-
ctis :

tis: *Imitari non pigeat, quibus in Majestate, atque Juribus successisse declarat.*

Adversa-
riorum ar-
gumenta.

§. V. Recte quidem istud (dixerit non nemo) contra enormes Librorum abu-
sus, sed non ad nostrum propositum,
qui id unice studemus, ut temporaneis re-
rum, terrarumque Dominis Potestatem
absolutam, ac (quod ajunt) independen-
tem in librorum etiam de Religione tra-
stantium Censuram tribuamus. At vero
Exempla, quæ modo laudata sunt, non
plus evincunt, quam quod, si quando a
Principibus, Libri moribus, ac Fidei adver-
santes proscripti, aut concremati sunt, istud
non propria ab iis factum sit Authoritate,
verum ea, quam ab Ecclesia acceperint, a
qua videlicet prius interpellati, ac pen-
sussi fuissent: ut videlicet potentiam, ac vi-
res suas Ecclesiae commodarent, ad coer-
cendos eos, qui renuerent sacris Canoni-
bus sponte se se subjicere: neque enim sive
Constantinus magnus, sive Theodosius, sive

Mar-

Martianus quidpiam, in Libros malos constituer ante ausi sunt, quam illi a Nicæna, huic ab Ephesina, isti a Chalcedonensi Synodo fuisse istud commissum, atque concreditum.

Gemina his accumulant, ac per se-
riem temporum digerunt, qui hic nobis
adversantur, ex Annalibus Exempla, nos-
que invidioso etiam adulatorum nomine
traducunt, perinde quasi Imperatoribus, &
Regibus per assentationem plus obtrudere-
mus Juris, quam velint vel ipsi; quibus
nempe Potestas in Libros sacratiōres, nun-
quam ut sua, semper ut aliena, & Eccle-
siæ subjecta visa fuisset. Patere istud volunt
propria etiam Regum complurium Confes-
sione: cumprimisque Childeberti, cuius
hæc sint apud Labeum verba: *Quia necesse
est, ut Plebs, quæ Sacerdotis præcepta, non ita
ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur impe-
rio.* Tum ex illa, quam Baluzius refert
Ludovici VII. Regis prorsus Christianissimi sen-
tentia:

tentia: Quare digna vox est Majestate Regnantis; Dei servum, & Ecclesiæ Defensorem se Principem profiteri. Ad extremum, illud ut minus sibi dandum pro certo existimat. Nulos omnino inde ab exordio Christianorum Principum Libros ad Religionem pertinentes a Magistratibus Sæcularibus in jus vocatos, multo autem minus proscriptos fuisse, qui non prius fuerint ab Ecclesia interdicti. Quo vel hinc pateat: Potestatem Principum non nisi pedissequam esse illius, quam Ecclesia propriam habet in Libros, quorum præcipuum argumentum sint: fidei Mysteria, aut morum, atque disciplinæ Doctrina. Hactenus illi:

Satisfit
objectionib.
bus.

§. VI. Ad hæc itaque nunc est respondendum: quod non gravare faciemus, quoniam & breviter, & clare, quod petitur, præstare valemus. Quis enim est, qui in dubium revocet, duo hæc ad Principes Christianos semper pertinuisse: ut nempe, & dum rogantur, succurrant Eccle-

sie

siæ laboranti, & ipsi etiam non rogati, cum res exigunt, eandem pro modo, ac ratione defendant. Neque prius illud officium alteri huic unquam derogasse, quin potius utroque unum illud indicari, quod Imperatores, Reges, Magistratus denique supremi, ex ipsa munericis sui conditione Defensores sint Ecclesiæ. Ex eo itaque quod quidam Principes postulatis detulerint quarundam Synodorum, ut Libros ab his prævie proscriptos, illi deinde penitus & medio tollerent, non nisi tenuiter, ac nugatorie, ne dicam, per astutiorum malevolentiam inferri potest, Potestatem Imperatorum, & Regum esse pedissequam Potestatis Ecclesiæ, hancque, ut Heram, Principibus obsequium imperasse, munus imposuisse, quo secus caruerant.

Princeps siquidem munus Defensoris non accepit ab Ecclesia, sed ab eo, qui illum caput, Duxemque Christiani Populi constituit, ad veram videlicet subditorum

ditorum Religionem tuendam, morumque corruptelam ab iisdem arcendam. Atque hunc titulum sibi proprium esse duxerunt, huic rebus ipsis, ac operibus se & jam respondisse, & deinceps responsuros esse professi sunt, tum Monarchæ quique Christiani, tum nominatim Childebertus, & Ludovicus VII. quod & verba ipsorum superius laudata (modo probe intelligantur) satis declarant. Nec crimen adulatio[n]is ei inferendum est, qui istud Principibus asserit, verum potius Justitiae laude cumulandus, qui habenti Jus suum tribuat,

Sed concedamus, atque quod in rebus non est, quasi esset; dari supponamus: quo sic novum inde firmamentum, novam Causæ lucem accersamus. Demus, inquam, Defensoris Ecclesiæ munus, adeoque totum Religionis negotium a Regia potestate esse penitus avulsum; Ratio tamen notioque Patris Patriæ, & Tutoris Reipublicæ, officio Regio ita cognata, ac

inti-

intima est, ut vim naturæ in eo obtineat.
Cum autem (quod & per se se patet, &
a nobis toties dictum est) neque Religio
sacra contaminari, neque mores populi
corrumpi, neque publica Rituum Discipli-
na perturbari queat, quin una Respublica
lædatur, satis (ut opinor) conficitur:
Principibus hac saltem parte, qua Patres
sunt Patriæ Jus ab ipsa natura deferri: Li-
bros Fidei, moribus, receptis Consuetu-
dinibus adversos in Jus vocandi, iisque
Sententiam etiam proscriptionis atque ulti-
mi excidii irrogandi. Ita egisse Carolum
V. (ut reliquos tacetam) novimus. Cum
opera Universitatis Lovaniensis usus, indi-
cem Librorum, hæresim continentium aut
etiam de hæresi suspectorum confici curavit,
primum quidem Anno 1546. tum itetum
priore illo locupletiorem Anno 1556. quem
utrumque sua Auctoritate, ut primum parati
fuerant, promulgavit, atque severissima le-
ge servari voluit. Intermedio autem inter
duos hos indices tempore Anno nimirum

1550.

1550. In Edicto Bruxellensi mentem atque Potestatem suam his explicuit verbis: *Si optini qui que cibi unius tantum guttae veneni, qua humani corpus, laeditur infusione suspecti, sunt omnino abjectendi; quanto magis ea scripta, quae tantis, & tam noxiis animalus veniens, passim infecta sunt; non solum nobis cavenda sunt, sed etiam, ne aliis indecent ab omnium hominum memoria sunt obliteranda.* Hoc neimpe erat Caroli V. sapientissimi illius Principis sententia, qua Ius in Librorum censuram Régium, cum eo comparavit jure, quod quilibet hominum habet ad removenda à cibo, & corpore suo venena: Istud autem cuique nostrum esse proprium, atque à natura inditum omnes libenter profitemur. Cur ergo, quod singulis privatim competit, Communis Patrie Patri in commune abrogetur?

Mirime autem prætererendum est: quod à parte adversa temere dictum fuerat: an emine videlicet Principum Libro cuiquam Litem intentatam fuisse: nisi qui prius tri-

us tribunalis Ecclesiastici judicium subivisset !
 Cum tamen vel duo illi , quos modo com-
 memorabam, Carolini librorum prohibitorum
 Indices , concessu omnium priores sint om-
 nibus Indicibus , quos quicunque Pontifi-
 cum inde à Gelasio produxerunt . Ut pro-
 inde Imperator potius dicendus sit præi-
 viisse Pontificibus , quam exemplum ab iis ac-
 cepisse Libros sic prohibendi . Paulus equidem
 IV. quem indicis , forma ea , quam nunc
 habemus editi , Auctorem esse censemus ;
 reapse non aliud præstitit , quam quod Ca-
 rolinum Indicem secundum adjectis libris Ita-
 licis , pondereque una authoritatis Ecclesi-
 asticæ auxerit , cum enim videret Indicem
 illum ultra Ditiones , & Limites potestatis
 Carolinæ haud extendi ; Decreto suo Pon-
 tificio effecit , ut idem universos fideles ob-
 ligaret .

§. VII. Atque hoc ipsum est , quod ad ex-
 tremum , Lectorem ad onere constitui : nihil Jura Im-
 perii & Sa-
 cerdotii
 omni-
 quantum
 ad libro-

rum cen- omnino esse, quo quis, ex hac Principum Pote-
suram state, diminutionem metuat Jurium Sacer-
concilian- dotii: cum facta etiam prohibitione Regia,
tur, salva adhuc maneat, atque integra Ponti-
ficiis, & Episcoporum Authoritas libros
eosdem (quod modo vidimus) prohibendi
politicanque obligationem, vinculo Eccle-
siastico cumulandi. Aut contra non pro-
hibendi Libros, quos forte Principes per-
peram reprobarunt. Sic, licet Ioakim Rex

Juda Librum Jeremiæ, quem a Baruch
acceperat, sciderit scalpelio scribæ, eumque
projecerit in ignem, qui erat super arulam
plenam prunis, eundem tamen nunquam Sy-
nagoga pro reprobo habuit, quin imo El-
natham & Dalaias, & Gamarias contradici-
xerunt Regi, ne combureret librum. Jer.

36. v. 23. 24. 25.

An forte plaga gravis inde infli-
genda putatur Ecclesiæ; ne cum hoc Libro-
rum prohibendorum Jure, quædam etiam
Portio Jurisdictionis (ut dicimus) spiri-
tualis,

tualis hominibus Laicis propria esse sta-
tuatur. Sed cur istud putetur? ob me-
diane, quibus Imperium Sæculare sua ur-
get statuta? At hæc, pœnæ sunt mere tem-
porales, Censuris cæterisque spiritualibus pœ-
nis, atque reatibus à foro hoc ne attractis
quidem. An ob materiam circa quantum
versaretur? hæc vero summe profana, quin
& satanica est: sunt enim scripta Fidem, &
mores oppugnantia: fœtus Averni pestilen-
tes. An saltem à fine quem Principes, cum
libros configunt, sibi præstituere? Hic qui-
dem res per se sacerrima est: Religionis vide-
licet orthodoxæ defensio, at si istud spiritu-
alem sapit, aut requirit Iurisdictionem:
jam ne quidem bella gerere, atque in acie
decernere pro Fide proprium fuerit Regibus
& militibus, sed quoties Religio armistuen-
da erit, soli viri Ecclesiastici, dicataque
DEO personæ erunt in campum educendæ,
Regum vero exercitus pro Auxiliaribus ut
summum & succenturiatis copiis habeantur.

Nihil itaque rei atque rationis ad-
ferri potest, quo minus potestatem Cen-
suræ Librariæ Principibus Politicis, ita ut
jam exposuimus, propriam faciamus: illam
que ad ipsa Regia Jura pertinere pronuncie-
mus. Neque tamen hic sistimus, sed se-
quimur filum, quod res ipsa nobis pro-
tendit.

Jus cen-
srandi
libros
Principes
peſſunt
aliis dele-
gare.

§. VIII. Si enim Jus Librorum
censurandorum Principibus (quemadmo-
dum ostendimus) ordinarium est; jam
suapte natura sequitur: posse illud ab iis-
dem etiam aliis delegari, qui nomine ac
vice eorum, Libros quosvis intra fines Pro-
vinciarum illatos inspiciant, examinent,
& ex forma dijudicent. Sed in hac dele-
gatione illud cumprimis recta ratio, lu-
menque ipsum naturæ a Principibus exigit,
ut id muneris, Viris idoneis, id est pro-
bitatis, ac Doctrinæ laude insignibus com-
mittant, secus ipsi se se gravissime reos
constituent coram omnium Censore ac

Judi-

Judice DEO. Quamvis autem longe convenientissimum sit, viros DEO dicatos Librum Censuræ præficere, quod iis & Fidei Mysteria, & Morum Christianorum placita, præ aliis magis cognita esse debeant, & existimentur; nihil tamen vetat, quo minus Laici quoque in partem officii hujus accersantur: modo in iis non desideretur ea rerum notitia, morumque integritas, quæ Revisores librorum deceat. Imo, cum Principes (quod admodum provide fit) universalius quoddam Tribunal, in una præcipuarum suarum Vrbium erigunt, plane necesse esse, non ambigitur: Ut Viros quosdam Sæculares in eo Assessores constituant, iis scientiis ac artibus perpolitos, quas sacris Personis fas est ignorare; ut adeo mancum quoddam ac imperfectum videatur esse illud Censorum Dicasterium, cuius commembra non sint viri Juris Civilis, Politicæ, Medicinæ, Physicæque periti.

Posteaquam vero Auctoritate Re-
gia Jus censurandi libros, aliquibus déman-
datum fuerit: sive Tribunalibus aut Com-
missionibus, sive Studiorum Universitatibus,
sive demum particularibus in urbe aliqua, plu-
ribus simul, ac singulis speciatim Personis;
illud sane hic accedit privilegii: quod
Episcoporum non subsint Jurisdictioni, quam
nempe illi in solos Diæcesanos, seu a se se
constitutos, non vero etiam in Regios ex-
ercere possunt; Diæcesanis itaque Reviso-
res Principum Sæcularium visitare, aut iure
quomodolibet convenire, haud est inte-
grum; nisi obtenta prius a Principibus ipsis
facultate. Duo siquidem hæc censurandi
Jura, ut natura, ita origine admodum di-
versa sunt: quemadmodum enim quod Epi-
scopi habent, spirituale: istud contra mere
civile est: ita illud a Pontifice Romano,
hoc vero a solo Rege diminant. Scitum
porro pervulgatumque est: nemini licere
limitibus Jurisdictionis alienæ falcem suam
propria immittore auctoritate. Quare Con-
cilium

cilium quoque Trid. Sess. 25. C. 6. de Re-
for. Cum modum præscriptisset Episcopis,
quinam se gerere debeant in visitatione
locorum exemptorum, non procul a fine
dissertam hanc fecit exceptionem: *Salvis tan-
men omnibus Privilegiis, quæ Universitatibus
Studiorum Generalium aut eorum Personis con-
cessa sunt.*

§. IX. Subit forsan hic animum
Lectoris cupido, meum certe recordatio-
niens, rei, in ipso Dissertationis hujus procemio
promissa; partem nempe alteram hujus ser-
monis, Censuræ Posoniensi ibidem addi-
xeram.

De Cen-
sura Poso-

Absolutis itaque iis, quæ universæ
ad rem Censoriam pertinent; dicendum
nunc supereft speciatim de Censura, quæ
totius hujus Dissertationis fuit occasio, si
non prorsus causa: neque enim unquam
in hanc materiam ingressi fuissimus; nisi
in Revisoris Regil munere nos annus inte-
ger Posonii exercuisset.

Tribunal ergo Posoniense censorium, si non originem, vim profecto ac energiam, fructus denique, quos in dies profert, saluberrimos, Apostolicæ Matris ac Reginæ nostræ, Mariæ Theresiæ Zelo & prvidentia debet. Augustissima namque hæc Domina est; quæ cum Anno 1745. Generalem in Ungaria Librorum Censuram Excelso Consilio Locumtti demandasset: una eandem ejusmodi digessit, atque perpolivit legibus, ut forma atque accuratione proxime exprimat eam, quam Romana universalis Inquisitio servat in Libris dijudicandis.

**Forma
Censure
Posoniensis.**

§. X. Cum primum enim Libri ad Tricesimale hujas officium devenerint, mox Archi-Episcopo, aut Episcopo, qui tum fuerit Praeses Commissionis ad Negotia Religionis deputatae, per Publicum Officiale denunciantur, ille vero eosdem ad Revisores, quorum duo in Residentia S. J. ad S. Martinum annis jam plus 20. munus hoc Regio jussu exercent, continuo depor-

deportari jubet. Horum porro ea peculia-
ris obligatio est, ut, cum libros ad se de-
latos attento animo legerint, ac diligenter
expenderint, Censuram eorum faciant ac-
curatam, hancque scripto comprehensam,
laudato Episcopo absque mora praesentent,
indicatis locis, & paginis, in quibus no-
tabiles errores continentur, aut si qui
illorum innoxii sint; perhibito de hac ipsa
etiam re testimonio. Tum vero Episcopus
acceptam a Revisoribus Censuram ad Tri-
bunal defert Commissionis Religiosæ, in
qua præter sœculares complures viros le-
tissimos, & Consilii alioquin Assessores
duo insuper assident Episcopi, alterutro eo-
rum semper Præsidem agente: qui cum de
Censuris in medium allatis Sententiam suam
dixerint, hanc eandem ulterius adhuc exa-
minandam, coram Excelso Consilio Lo-
cumtli subinde constituunt, atque hinc
demum res, sub novam revocata incu-
dem, iterumque discussa, ad Excelsam Can-
cellarium Aulico - Hungaricam Viennam
trans-

transmittitur, cuius demum arbitrio, Re-
gia Authoritate firmato, judicium omne
absolvitur, exequendi Provinciariterum ei-
dem Consilio demandata. En, non res so-
lum verum etiam verba prope paria iisdem
quibus Benedictus XIV. in Bulla: *Sollicita-*
ac provida. Anno 1753. septimo Idus Ju-
lii data, formam Judicij Librorum Censo-
rii pro Universalis Inquisitionis Tribunalis
§. 40. delineavit. Ut crederes, nostram
hanc inde veluti ex exemplari fuisse redu-
ctam, nisi Romana illa, post istam, Annis
plus minus septenis, serius fuisse procula.

Quibus omnibus non modicam lu-
cem affundet Instructio pro Revisoribus Re-
giis confecta, & Authoritate suæ Majesta-
tis Anno 1747. 1. Martii in Consilio Lo-
cumtli promulgata. Sic autem habet.

Instructio
pro Regiis
Revisor-
bus con-
fecta.

§. XI. Excelsum Consilium Locum-
tle Regum! Domini Domini Gratiissimi,
Colendissimi,

Suæ

Suæ Saceratissimæ Majestatis benignissimo Mandato; in punto revisionis Librorum, sub 23. proxime elapsi mens expedito, mihique ab hocce Excelso Consilio Locum-tenentiali Regio Decretaliter gratiouse com-municato, ut debitum morem geram, se-quentem instructionem Librorum Censori-bus Regis observandam humillime præsen-to, Ejusdemque Excelsi Consilii Locum-tis altiori Judicio, quid addi, vel demi-judicaret, humillime substerno.

Instructionis Idea.

Dedit DEUS sapientiam Augustissimæ Cæsareo-Regiae Majestati, Dominae Dominæ nostræ, & Principi Clementissimæ, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in litore maris, ita ut nomen ejus nominatum sit in Universis Gentibus per circuitum, & quia obtinuit a DEO eorū Regis, cui Deus judicium dedit: Hinc ut felicitati Populo-rum suorum, Gentiumque subditarum pro-spi-

spiceret, cumque tranquillitati earundem
nil magis conferre recognoscat, quam
omnia avertere, quæcumque Materno-Re-
gia sollicitudo sapienter censem paci nociva,
ideo inter summorum negotiorum affluxum
non aliena fuit, uti bonam Principem de-
cet, & Religionis Orthodoxæ Advocatam,
& Scutum, ut recogitaret corde, qualenam
damnū Publico causari soleat, per intro-
ductionem, & impressionem Librorum,
sine prævia eorum sufficienti revisione, qui
tam de Regc, quam alijs Principibus, imo
de ipso Capite Ecclesiæ Orthodoxæ, Ejus-
que Ministris sine rubore audacter differere
audent & scomatice. Hinc Revisoribus a
se per clementissimum mandatum sub 23.
Mensis exspirati, nec non alterius sub 21.
Mensis Junii A. 1745- ad exemplum glo-
riosæ memoriae Imperatoris Caroli VI. Ge-
nitoris sui desideratissimi, & quondam Re-
gis nostri Clementissimi, nec nec pro so-
latio, & adjuvamine potentissimo primi sui
fidelis Status Prælatorum, sequentes dispo-
sitio-

sitiones observandas infallibiliter jubet:
Nē (uti factum est) opus tam sanctum,
& utile remoram patiatur, & ut clemen-
tissimæ suæ Majestatis Cæsareo - Regiæ men-
ti satis fiat.

Prōinde ut in hac parte medium
quoque quodpiam feratur, & ne palliā
quosvis Libros acatholicos, cum maximo
dominantis Religionis Romano - Catholicæ
damno, pro arbitrio ipsorum in Regnum
inferre liceat, sed neque a talibus, qui sine
modestia, & sine ullis in magnam DEI Ma-
trem, & Sanctos, ac Ecclesiam Romano-
Catholicam, Ejusdemque Pontificem & Clerum
Principesque Catholicos injuriosis scommati-
bus referti conscribuntur; nec non fidelem Po-
pulum, improperiis, & calumniis ad tuendas
solum confessiones ipsorum, afficere effronter
audent cum novarum etiam hæresum per-
mixtione; In Revisione talium operum se-
quentia observanda habebunt Puncta.

Primo: Immediate dum destinati
Regii Revisores Libros a Celsissimo Archi-
Epi-

Episcopo Strigoniensi, vel eo absente ab Episcopo Consiliario Excelsi Regii istius Locumtis Consilii, qua Commissionis, in materia Religionis ordinatae, Praeside deputato, Libros irrevisos obtinuerint, Diem perceptionis Librorum, Titulumque eorundem diligenter adnotabunt. cum nomine Personæ, ad quam pertinerent: et Reversales eidem consignabunt, ut dum revisi fuerint, ex Relatione exhibenda Librorum continentia, & subscriptione Revisoris Librorum, cui committetur, appareat magis diligentia Revidentis.

Secundo: Accurate attendent, ut in connotationem assument nomen Authoris, Libri Titulum, locum, in quo impressus extitit, & Impressoris nomen.

Tertio: Revisiones incipient secundum ordinem sibi à Directore Revisionis prescribendum, cui absque hoc incumbit, vi mandati Cæsareo-Regii assumere, Nor-

mam sibi clementer præscriptam, incipiendo, ab iis, qui longius jam detinentur.

Quarto: Si quid contra Statum Publicum, bonos mores, aut alias scandalosum, Religioni Catholicæ, Principibus item Romano-Catholicis, aut Clero injuriosum repererint, hinc punctatim, cum annotatione Libri, Capituli, & numeri marginalis per extensum excerptent, & scripto-tenus exponent, ac dein Celsissimo Archi-Episcopo Strigoniensi, vel eo absente, Episcopo in Materia Religionis Commissionis Præsidi, de tempore in tempus, consignabunt, diemque consignationis ad calcem relationis ponent, quam Archi-Episcopus, vel Episcopus, isti Excelso Locum-tli Regio Consilio repræsentaturus est.

Quinto: Cum porro experientia compertum habeatur, Libros licet Politicos, & in aliis materiis indifferentibus, ab Academicis conscriptos, magnum sæpenumero

virus

virus continere, falsa dogmata, imo ipsum quoque Atheismum sub specie indifferenti instillare, quod Publico longe perniciosissimum, & ipsi universalis Christianitati damnosissimum est; e contra vero Magistratus Civici, quibus Politicorum Librorum Censura hactenus concredita fuerat, subdolas hujusmodi scriptorum imposturas, quas etiam non nisi bene oculatus discernit, detegere haud didicissent; imo in ipsis etiam magistratibus ad revisionem Acatholica non-nunquam subiecta destinari contingeret; hinc politicorum, & indifferentium Librorum Revisionem pari cum industria, & methodo facere tenebuntur. Quapropter

Sexto: Impressoribus Librorum diligenter attendant, ne sub specie etiam cantionum nuptialium, vel quoquo alio mendicato, vel te^cto titulo quid imprimant, vel tacito Authoris nomine, sine prævia accurata Revisione.

Septimo.

Septimo. Nee intermittent in executionem pientissimæ Intentionis, & clementissimi mandati supra citati 1745. Anni cum specifica expressione errorum, si qui in Revisione Librorum reperti fuerint, notificare Dioecesanis, quibus competit, ut hi suo Jure uti valeant.

Octavo: Quod si autem nihil praedictorum in dictis acatholicorum Libris contra statum (uti præmissum est) Publicum, bonos mores, aut aliud quid scandalosam repertum fuerit, id ipsum quoque cum Librorum, & Nominum, ad quos pertinet, modalitate praescripta accurata connotatione Eisdem Celsissimo Archi-Escopo vel Escopo significare obligentur, eorumque manibus Libros revisos restituent.

His dum me Gratiis, & Benignatati Excelsi Consilii Regii Locumtenentias demisse recommendo, in præstolatione grā-

tiose Resolutionis debita cum veneratione
persevero.

Excelsii Consilii Locumtis

Humillimus Servus

BMCAlthan Archi-Ep. Vaciensis.

Materia

Censuræ

Posonien-

§. XII. Hactenus Instructio Regia.

Exqua rursus liquet: nihil omnino desiderari eorum, in Censura Posoniensi, quæ Benedictus XIV. fieri voluit in Romana: quantum videlicet ad modum ac formam. Sed nec quoad subjectam Censuræ materiam prodit se ullum discriminem, si nimirum sola Instructionis verba attendantur. Res tamen ipsa ac usus, magnum inter hæc duo Tribunalia pandunt intervallum. Romæ siquidem Lutheri Calvinique errores cum primis configuntur: at Posoniensis Censura non perinde notat hos omnes, verum eos duntaxat, quos Primigeniis hæresiarum illorum articulis, posteriores Sectarii: malorum Corvorum mali pulli pessime ag-

grega-

gregarunt, parcit vero iis, qui in Augu-
stana (ut dicitur) Confessione expressi haben-
tut. Quod eapropter sit unice: quia de-
ploranda illa ætate, qua Bocskaius Ducem
se præbuit seditionis, eo demum decor
Religionis Orthodoxæ defluxit in Ungaria,
ut primum quidem Rudolpho in Pacifi-
catione Viennensi Anno 1606. habitæ, tum
vero Mathia secundo Ungariæ Regibus ex-
tortus denique fuerit Articulus, quo illi
Augustanæ, & Helveticæ Confessioni, quan-
tum in se situm esset, liberum Exercitium
permitterent. Quia vero, quemadmodum
finis sine mediis; ita Confessiones hæ
absque Libris novis, in attritorum locum
substituendis, consistere posse non viden-
tur; ideo, horum quoque in Regnum
invectionem Articulus idem permisso putar-
tur. Sed tamen (quod moneo) non ultra
quam necesse sit: neque enim amplius
quid cedere solent, quicunque quidpiam
inviti agunt, qualiter Rudolphum, Ma-
thiamque egisse, satis per se se ostendunt.

& temporum illorum ratio, & tenor Indulgi corundem. Quare vi hujus Articuli Libri haud alii possunt permitti a Regia hac Revisione, nisi qui necessarii sunt predictis Confessionibus; hique etiam tunc solummodo, cum Possessores ipsorum fuerint Protestantes. Avertant enim superius malum hoc tolerantiæ in Orthodoxos quoque propagetur, quæ pro solis Heterodoxis est Regi ingratiiis erepta. Catechismos itaque, Postillas, Cantionalia, item Polemicos, Theologicos, cæterosque Scholasticos libros Lutheri Calvinique Asseclis Censura Posoniensis non subtrahit, quoniam sine his vix staret permisso Regia. At vero curiositatem, aut eruditioñem supererogatoriā continentia: uti sunt Acta, & Lexica Eruditorum, Politica item, ac Juris naturæ & Civilis, aliaque hujusmodi opera, iis permittenda esse, nunquam quidem evincent Heterodoxi, cum absque his elucubrationibus, quemadmodum infelicitas nata est, ita jam nimium diu durat utra-

utraque Confessio eorum! & re ipsa libri
hi Protestantibus apud nos superflui sunt,
tum spectata eorum tolerantia , tum etiam
inde, quod ad manum esse, cuivis volent;
possint Auctores Orthodoxi, ex quibus
omnigena eruditio uberius , ac securius
hauriri, ac locupletari queat , quam ex lu-
tulentis his scaturiginibus.

Illi tamen etiam Libri, quos eis
dissimulando esse dicimus, ejusmodi exi-
stant oportet, qui novis erroribus non
sint respersi, atque ultra limites Augusta-
nae Confessionis ne latum quidem unguem
prorepant. Quamvis enim Rudolphus, &
Mathias Reges Augustanam juxta, ac Hel-
veticam Confessionem tolerandam esse
edixerint; istud tamen non aliter est acci-
piendum, quam commensurate ad ipsam
Lutheranorum & Calvinistarum id tempo-
ris postulationem, ut enim duæ hæ sectæ
in unam tunc coiverant ligam, & sub uno
Protestantium Nomine veniebant, sic unam

namque communem suę Religionis formam esse volebant; Augustanam Confessionem: Hanc solam Carolo V. olim in Imperio, hanc deinde Rudolpho Primo, atque iterum Mathiæ secundo Ungariæ Regibus, illi quidem Viennæ, huic vero Posoniis obtruserunt, ac veniam demum, hanc unam profitendi ab utroque violentiis suis expresserunt; ut proinde & Regum indulgentia, & ipsa eorum opera, sola Confessio Augustana evaserit, unica tolerantia harum per Ungariam sectarum Norma, cuius proinde notitiam familiarum sibi reddere debent Revisores Regii, ut in promptu habeant cynosuram, qua in censurandis acatholicon Libris regulentur.

**Quænam
censuran-
di ratio
ab Episco-
pis Unga-
riæ adhi-
benda?**

§. XIII. Quod si quæratur: Quænam forma servanda sit ab Episcopis eorumque Revisoribus in modo memoratis Operibus ad trutinam revocandis? Romaniæ ne, an Posoniensis? ego quidem Romanam sine dubio illis sequendam esse censeo.

Neque

Neque enim Regii sunt Censores, verum Papales, qui videlicet omnem examinandi judicandique librorum potestatem non aliunde acceperunt, quam a Christi Vicario. (quod Dissertatione 2. §. 7. & disertius Dissert. 5. §. 3. 4. a nobis est expositum) Quae sane potestas non eo est ipsis collata, ut in propria Lutheri Calvinive dogmata indulgentiores se exhibeant; verum potius, ut locis ab Urbe remotioribus vices gerrent summi Pontificis, ejusque vigilantiam Pastoralem, ac Zelum Apostolicum ex suo etiam augerent.

Accedit propriumque est Episcoporum Hungariæ momentum: quod illi cum primis: tum Articulo 1mo Pacificationis Viennensis, ut primum in Posoniensibus Comitiis Anno 1608 celebratis productus est, tum subinde Articulo 5 1647. quo nempe Pacificatio Licensis continetur, ex forma legum patriarcharum, & nomine universi Cleri Hungarici intercesserint, suaque inter-

cessione effecerint denique : Ne Articulus ille , vim Legis in Hungaria unquam obtineat ; sed pro mera tolerantia Regia habeatur , cui nimirum Status Ecclesiasticus , quem pro primo omnium habet Regnum nostrum , legaliter contradixerit .

Nec juvat Acatholicos inserta Articulo Linœensi clausula illa : *Contradicitionibus Dominorum Cleri , & aliorum , quorumvis Sæcularium Catholicorum non obstantibus imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus.* In omnibus siquidem hujusmodi clausulis , esto non exprimantur , semper tamen intelliguntur hæc aut similia verba : *Salvis Legibus Regni fundamentalibus.* Jam vero spectata nostræ Reip. forma , unam e numero earum esse etiam illam , qua sancitum habetur : statutum nullum apud nos vim legis obtinere posse , cui ex quatuor Regni Statibus , vel unicus integer contradixisset , prout reipsa , Articulis præmemoratis , quatenus illi Religioni Orthodoxæ præjudicarent :

con-

contradic̄tum fuisse, vel ipsa Clausula allata in proposito ponit. Ut proinde ipsa eadem, pro non adjecta, utpote Legi fundamentali contraria, imo, & pro secum ipsa pugnante sit habenda. Reipsa enim non aliud significat; quam si brevibus sic fuisset proposita: *Contradictionibus iisdem valentibus, & simul non valentibus; Valentibus: Vi legis; non valentibus vi verborum;* utrum autem horum prævaleat alterius putem: quod illud huic: veluti universo volitum; particulari, multorum ingratissimis inserto.

Sed et si eadem secum ipsa haud pugnarent, attamen ipsi Ordinazii Locorum, si Auctores Protestantium, qui ad suum deferuntur tribunal, liberos abire sinearent, jam Apostolicam illam Majorum suorum contradictionem retractare viderentur; quam tamen s̄ tam esse hodieque profitentur!

At inquires: tota hæc differendi ratio futilis est, & ludicra, quæ id conficiat:

ficiat: ut Mathiae, cæterorumque post ipsum Hungariæ Regum permisso; omni careat effectu. Si enim libros illos, qui ad conservandam Augustanam, Helveticamque Confessionem necessarii sunt, Antiflites in suis Diœcesis suppresserint, nulli omnino venient unquam, nisi fors furtive in manus Protestantium. Cum nullum illi per Hungariam locum incolant; qui non sit intra Jurisdictionem alicujus Episcopi? Utinam vero fieret quantocytus: ut unum Pastorem, unum Ovile, eademque pascua haberemus!

Sed tamen Luthero, Calvinove adicti sat patentem adhuc habent canalem, quo comeatum (dixerò potius) venena animorum corriventur. Libros siquidem, pro quibus veniam a Censura sive Posoniensi, sive Viennensi nominatim obtentam scripto exhibent, Ordinarii locorum intactos relinquunt in eosque solummodo justa animadvertisunt Censura, qui defraudatis Vectigalibus publicis,

aut

aut præteritis Revisoribus Regiis, nulla de-
nique Regia autoritate muniti, provinciis
im portantur. Fitque ita: ut Episcopi &
Regium revereantur nomen, cum illud pro-
ducitur, & cum per Regem licet, suæ
etiam satisfaciant obligationi. Id quod illi
adhuc exactius præstare valerent, si quod
in laudata nuper §. XI. Instructione Regia,
Nro. 7. præscribitur, executioni daretur.

§. XIV. Atque hanc Episcopo- Quæ a
rum censurandi methodum sequendam esse Magistra-
judico etiam Magistratibus Comitatum, & tibus?
Urbium Catholicarum, Universitatumque:
quando Libri, limites ac Tribunalia eorum
subeunt; nam cum hi vel maxime statum
Ungariæ Orthodoxum censem, cumque
idem perinde atque Episcopi, Article illi
Posoniensi reclamaverint, ipsos quoque ad-
decet in re præstantissima Immemores esse In-
stituti Majorum, summopereque invigilare
ne qua prætergrediantur terminos, quos
Patres eorum Religiosissimo posuerunt. Et
quam-

quamvis Revisores, quibus illi, ac quatenus utuntur, Regii Nominis aut Auctoritatis sint, iidem tamen non sunt a Rege peculiariter ad tolerantiam deputati, quemadmodum Posonienses, verum ad ordinarium Revisorum munus, quod Rex ipse generaliter, in omnibusque casibus vult ab iis promore in Ecclesia recepto exerceri, nisi quem jure tolerantiae speciatim exceperit. Ita ipse ergo aucto huius officio pluribus annis locisque operam navavi, ita ab aliis navatam fuisse ex ipsa eorumdem praxi ac usu observavi.

An Typographi Catholici sub tolerantiae praesidio, possint tutu Conscientia imprime re Libros haereticos.

§. XV. Unus adhuc immo haeret aculeus, quem ad extremum operis hujus mihi & Lectori evulsum volo, conabor certe. Quæronimirum: Num Typographus Orthodoxus possit tuta Conscientia imprimerre libros, haeresim continentes, qui a Regia Revisione Viennensi, aut Posoniensi per explicatam hactenus Regum conniveniam non supprimuntur? Ita quidem videbitur aliquibus, qui istud ad bonum (ut ajunt)

ajunt) publicum pertinere existimant, ne
videlicet pecunia pro libris his aliunde
petendis, e Regno constanter efferatur,
sicque pauperie domesticorum ditentur ex-
teri, cum primis vero heterodoxi artifices.
Sed mihi, bona cum venia virorum me sa-
pientiorum, res longe alia effigiatur for-
ma, ut censem omnino, Typothetam Ca-
tholicum, gravi se obstricturum criminē; si
librum hæreticum imprimat, etiamsi ejus-
modi sit, qui Judicio Excelsi Consiliī Lo-
cumtliis esset Possessori Acatholico resti-
tuendus, neque ab impressione prohiben-
dus. Atque imprimis Lectorem oro, ne
in animo suo residere sinat præjudicium
illud, quo quidam Politicorum laborant:
dum videlicet ex tolerantia ipsa Augustanæ,
Helveticæque apud nos Confessionis inferre
nituntur: licitam esse in conscientia, Typo-
grapho etiam Catholico, Librorum impres-
sionem, in usum earundem Confessionum,
ne, (ut illi ajunt) finis, mediis destituia-
tur. Si enim sic arguete liceret, jam ipsa
etiam

etiam Sectarum harum professio coram Deo
licita esse probaretur: quoniam illæ sunt
præcipuum tolerantiae objectum. Ex tole-
rantia certe finis, sana Philosophia non nisi
tolerantiam mediorum concludere novit;
Sed propter tolerantiam præcise, neque
finem neque media a culpa immunia esse
pronunciavit unquam. Imo si recte ratio-
cinari velimus: ex Titulo meræ tolerantiae
res potius illicita, quam licita esse proba-
tur. Ex ipsa enim nominis notione, quid
aliud est Tolerantia, nisi minoris permis-
sio mali? non ergo approbatio aut prose-
cutio ejusdem. Ut proinde ex Toletantiæ
Disciplina sequatur quidem impunitas publi-
ca facti, non vero etiam immunitas a cul-
pa: cum id agitur, quod unice toleratur.
Quare non video; qui se tandem coram
Deo tueri possit Tolerantiæ hujus, qua de-
agimus præsidio, Typographus Catholicus,
Acahtolico's imprimens Libros? nisi pene
dicamus: Elucubratores quoque eorundem
futuros absque reatu.

Ratio

Ratio mihi sic sentiendi est Bul-
 læ Cœnæ Articulus ille, quo anathemata
 Papæ reservato excommunicantur omnes scienter
 legentes, retinentes, imprimentes. -- -- quavis li-
 bros hæresim continentes, aut de Religione traçan-
 tes sine authoritate Papæ, aut Sedis Apostolice.
 Et quamvis demus Bullam hanc transmon-
 tes non obligare, cum eo omni, quem verbis ex-
 primunt, rigore proptereaq. ipse ego superius
 Dissert. 6. §. 8. eandem quoad Excommunica-
 tionem, apud nos non vigere aperte pronun-
 ciaverim; neminem tamen adhuc legi Au-
 torem sat idoneum, qui huic, Bullæ isti-
 us de Libris Articulo, omnem omnino ob-
 ligandi vim, nominatim ac particulariter ad-
 emisset. Legi, contra, atque etiam loco
 citato laudavi isthæc Carboneani, & Lucij
 Ferraris verba: *Si alicubi ex Sedis Apostolica*
Indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint
Regulæ Indicis, ac Bulla Cœnæ; id unice infer-
ri poterit: legentes scienter Libros prohibitos non
incurrere in censuras, in illis expressas. At cer-
tum est graviter peccare, contra Præceptum Ec-
clasiæ, quæ semper veluit, horum librorum legio-

nem, quæque præceptum hoc per Romanum Pon-
tificem renovat, & inculcat, Quæ quidem licet
ad directionem conscientiæ summi sint mo-
menti, ac rem omnem absolvant, in iis ta-
men ego nondum consisto, qui esto trans-
mitterem: Balam Cœnæ nulla, sui patre
ac nullatenus obligare in Germania, neque
tamen adhuc admittere possem; Typogra-
phis Catholicis licitam esse Librorum præ-
dictorum impressionem, ipso nimirum na-
ture jure id prohibente, eo quod sic posi-
tive omnino cooperarentur ad rei pessimæ,
qualis est hæretis conservationem, & pro-
pagationem, perinde ac sculptor, qui scul-
ptiæ faceret, cum illud ad adorandum ab
eo confieri peteretur per Idololatras. Un-
do factum: ut pictores sculptoresque ejus-
modi, qui ab Ethnicis, ea causa: quod no-
luerint idola efformare, occisi sunt; inter
sanctos Martyres, hodieque recolat Eccle-
sia, Indubium autem est, neque Protestan-
tes alia de causa impressionem Librorum
suum curaturos, quam ad suos errores
tuen-

tuendos, atque censervandos. Imo Typographum hunc Catholicum, ipso sculptore tali deterius acturum ajo. Idola enim & Imagines Deorum, Hominum, atque animalium, secundum se mala non sunt, sed indifferentia, possuntque servire ad ornamenta domus, atque ad memoriam veterum Historiarum, & Fabularum conservandam, ad cultum denique civilem majoribus exhibendum, ut non nisi ex sola hominum malitia ad superstitionem Idololatriamque determinantur. At vero libri hæresim continent ex natura sua provocant ad malum: dum proponunt, docent, probant, suadent dogmata erronea. Quare si comparatione semel assumpta, uti ulterius placet: Typographi, Librorum hujusmodi impressores, perquam simillimi sunt Sculptoribus, atque Pictoribus, obscenæ & ad libidinem, aliaque scelera provocantes formas, palam venales proponentibus, qui certe rei sunt violati Juris naturæ.

D

U



Ut quid ergo (quæret aliquis) redduntur quandoque Typographo, jussu etiam Excelsi Consilii Locumtenentialis Protestantium Libri, quos ille Revisoribus Regiis Posonii pro approbatione obtulerat? Anne & hi cooperatores, fautoresque hæreticorum dicentur? nihil equidem minus: horum enim omne judicium, mera permisso est, qui nempe ex Officio præsident rei librariæ, non ut probent errores heterodoxorum, sed ut invigilent illis, ne qua Limites tolerantiæ Regie prætergrediantur, ut adeo prædicta restitutio libri, ejusque approbatio, aut factum quodvis aliud, quo cunque illud compelletur nomine, ex Republicæ nostræ circumstantiis, atque conniventia Regia, non alium quam hunc faciat, & habeat sensum: *Liber hic non excedit limites Tolerantiae.* Majora itaque illi mala, quæ possunt, impediunt, minoria vero, quæ impedire non possunt, permittunt, haud secus, ac quivis alias, qui sinit mala patrari, quæ nequit avertere.

At



At Typographus Catholicus, quo munere, quo imperio, qua necessitate adigitur, ut prælo suo subjiciat scripta hæretica? Quid si non aliud est, quod eum hoc adducit, quam Auri Sacra Fames? sed videat, ne experiri aliquando cogatur fulmineam illam Divi Petri Sententiam: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. 20.

Atqui (pergit is etiam) Veterum Autorum opera non pauca amores docent impuros, quæ nihilominus e Typographiis Catholicorum hodieque prodeunt, quin inde Editores eorum positive cooperari censeantur ad illorum libidinem, qui libris his abutuntur? sit ita, ut dicitur: Sed nunquid res ista finem una habet honestissimum, à privato utique Typothetarum commodi studio (quod vulgo proprium interesse dicitur) longe diversum, quem illi per se intendere possunt; ac debent, & cum intendunt, non nisi per accidens (ut dici amat) se habent ad eorum mali.

tiam, qui in classicis Aucto^ribus, Scarabæ-
orum instar, simum quærunt, atque lacu-
nas, nam hi re ipsa eduntur ob puritatem
nitoremque linguae latine, & copiam ejus-
dem, ex his quoque fontibus locupletan-
dam. Atque hic ille finis est adeo deco-
rus, quo Concilium quoque Tridentinum
permotum fuerit, ut Regula Indicis VII.
sic constitueret: *Antiqui vero ab Ethnicis con-
scripti Libri, propter sermonis elegantiam & pro-
prietatem permittuntur, nulla tamen ratione pue-
ris prælegendi erant.* Edat nunc nobis Ty-
pographus orthodoxus finem, si quem ha-
bere se putat, honestum in editione libro-
rum erroneorum ad usum hæreticorum? mihi
enim res hæc ne per mentem quidem
abstrahi posse videtur a favore hæreseos.
Non ita est, inquires: nam optime diri-
gitur istud in Reipublicæ felicitatem:
ne videlicet (ut jam supra dictum est)
grandis æris publici vis per canalem li-
brorum venalium ab exteris Provinciis per-
petuo

petuo accessendorum, ex Regno sine fine,
& fundo effluere sinatur.

Itane vero? sed quid si canalis hic obturari queat per Typographias, quas Protestantes per Ungariam, Transylvaniamque erectas habent? quæ profecto tot jam illis tolerantur, quibus utriusque suæ Confessioni de libris affatim providere valerent, si modo solis necessariis contenti esse vellent, nec prurirent in superfluos, curiosos, otiosos. Anne etiam sic Catholicorum Typographorum opera adhuc necessaria esse judicabitur, ut bonum hoc Reipublicæ absque illis procurari non posse statuatur? haud equidem puto. Cur itaque sponte se ingerunt rei periculo-sissimæ, a qua tamen abstinere deberent, esto nullum aliud pretensæ huic penuria levandæ suppeteret Regno toto Remedium. Scitum quippe est: Rem natura sua, & intrinsece malam, ne boni quidem publici causa patrandam esse, secus frustranea

erit illa naturæ Lex: *non est faciendum malum, ut eveniat bonum.* Frustranea ea Christi Domini vox: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur animo vero suæ detrimentum patiatur.* Math. 16. 26. Theologi certe omnes Christiani, uno ore, una docent sententia: nullam actionem per se se malam directe ac immediate posse poni, quavis de causa: eo quod nihil sit in rebus, quo illa honestari queat. Qualem actionem esse cum editionem librorum hæreticorum pro hæreticis adornatam persuasissimum habeam; tum eandem a Catholicò Typographo non nisi contra voluntatem suæ Majestatis adornari posse, etiam atque etiam affirmo.

Augustissima siquidem nostra dum librorum quorundam veniam indulget, in suis benignissimis Resolutionibus addere consuevit Mandatum, quo cæt: ne libri illi reddantur possessoribus si hic sint Catholicì, secus si Acatholicì. Atqui ipse Typographus, dę quo nobis sermo, Catholicus

tholicus est, & quidem ejusmodi, cui minime omnium tradendus sit liber heterodoxus, quem videlicet is, postquam impreseverit, promiscue & sine discrimine vendat; quin vel interroget: orthodoxus sit an heterodoxus emptor. Ut adeo quod sua Sacratissima Majestas vel Excello Locumtli Consilio vetitum esse vult, ne nimis: Libros heresim continentest Catholicos Possefori restituat, contra id Typographus, sine cura ac timore agat, Regiumque Decretum hac parte frustretur.

Quæ tamen num ita se habeant, quemadmodum mihi videbantur, uti & omnia in decem his Dissertationibus ex meo sensu prolatæ, altissimo Excelsi Consiliu Locumtenentialis, cumprimis vero Sacrae Sedis Apostolicæ judicio humillime substerent & finio.

Hæc erat clausula opusculi hujus Anno 1767 scripto comprehensi, quam tamen

men intactam (ne quid immutem) reliqui,
nisi quod eandem Anno currente, nimi-
num: 1791. etiam ad Inclytam Deputatio-
nem Librorum Censoriam: Dominos Domi-
nos gratosissimos, & Colendissimos pari-
cum Veneratione velim esse directam.

O. A. M. D. G.



DISSERTATIO
DE
CENSURA LIBRORUM PERNICI-
OSORUM, ac SPECIALITER LIBERTI-
NISMO INFECTORUM,

ANNO 1767.

CONSCRIPTA NUNC VE-
RO SINE OMNI MUTATIONE EDITA:
AB EMERICO VAJKOVICS.

ELECTO
EPISCOPO ALMISIENSI, ET PRAEPOSITO
MAJORE, ac CANONICO M. E. COLO-
CENSIS, NEC NON
REGIO LIBRORUM CENSOR
EMERITO.

COLOCÆ, Impressit Fr. Frid. Neuder e S. P. 1791.

